

Jacob Tydaeus Johannes Vestringk

Disputatio Moralis De Philotimia, seu Studio Ac Amore Honoris

Rostochi[i]: Richelius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730550524>

Druck Freier  Zugang



RL phil 1658

Jacob Tydseus

Johannes Vestringius



ΣΤΗ ΘΕΩ!

DISPUTATIO MORALIS
DE

ΦΙΛΟΤΙΜΙΑ,

seu

STUDIO AC AMORE
HONORIS,

Quam

—
—

Ex Suffragio
Amplissimi Ordinis Philosophici
in Illustri Alma Balthica

Sub Umbone

DN. M. JACOBI TYDÆI,

PRUSSI,

Publicæ Censuræ submittit,

Ad diem 27. M. Februarii

Anni currentis c 17 17 c LIX.

In Auditorio Maximo,
horis antemeridianis

JOHANNES VESTRINGIUS,

Revaliensis Livonus,



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typog.

63

Faint, illegible text at the top of the page.

Faint, illegible text in the upper middle section.

Faint, illegible text in the middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower section.

Faint, illegible text near the bottom of the page.

Faint, illegible text at the very bottom of the page.



I. N. D. N. J. C.

Πεγάλιον

DE

MODESTIA.



I vulgi valeret iudicium, quinam se-
culi huius primates? Assurgeret sa-
nè sine mora communis illa fax re-
sponso Simonidis, qui quondam
interrogatus, quis esset nobilissimus?
respondisse eum ita accepimus: Il-
lum, scil. esse, qui ex majoribus
longo tempore locupletier
natus est. Exinde dubio procul

*eritum quoq; illud plebis diciturum prognatum: Nobilis est ille
quem sua nobilitat villa. Apud Romanos iidem nulli pau-
peri concessum fuerat ingredi senatum, postquam Servius ex
censu legi Senatores. Unde idcirco Ovid. 1. Fast. conqueritur:*

*In pretio pretium nunc est, dat Censu honores,
Census amicitias, pauper ubiq; jacer.*

*Verum enim verò bona illa mundana sunt duntaxat usus
fructus virtutum; Virtus verò ipse fructus; quam proinde illa
raduca comitantur, non autem viceversa: Imo sunt velut mutua-
ta vestis, quæ vicissitudinem fortunæ quàm sapissimè experiuntur;
Virtus verò quoad basin suam stat & manet immota. Unde o-
ptumè Arabes: Non est dives cui nulla est virtus. Ut
itaq; & nos spreis huius mundi vanitatibus unice πῶς ἔχ' ἀξί,
VIRTUTI studeamus; quo ejusmodi virtutes in hoc mundi*

Theatro nobis comparemus, qua proxime & in subsequendo seculo
 juxta monitum Hebræorum: quippe quum & aliàs divitiarum
 formæ, omniumq; rerum gloria fluxa atq; fragilis; sola verò vir-
 tus æterna habetur. Idcirco volupe est in amœnissimum Philo-
 sophorum jam exspatiari campum decerpere unum alterumve
 florem, qui facere videatur ad enucleandam doctrinam nostram de
MODESTIA. Jova Juva!

§. 1.

- a) lib. 2.
antiquit.
Rom. c. 18.
Templum
apud Ro-
manos du-
plex: vel
Virtutis,
vel Hono-
ris.
- b) In spe-
cul. Mor.
Ogdoade
2. differt.
Ethic. 4.
Thes. 6.
- c) 4. Eth.
Nic. 3 & 4.
cap.
- d) lib. 2.
Eth. c. 7.
- e) lib. 4.
Eth. c. 4.
Modestia
unde, &
quid?

Constat ex Johann: Rosin: a quod primus VIRTUTI fa-
 num posuerit Scipio Numantius: deinde Marcellus Vir-
 tutis & Honoris. Templum autem Virtutis & Honoris
 ita exstructa fuisse legimus, ut per virtutis templum
 ingressus fieret ad ædem Honoris. Symbolo hoc monemur
 non patere aditum ad verum honorem (quum Honores quàm
 facillimè levitatem ipsi animis inducere possent:) nisi per virtutem
 ipsam. Ne ergo monente Theodoro Eberto b. periculosas hono-
 rum cedros turpiter delapsuri temerè scandamus neq; divinis nos in-
 dignos dotibus nimia abiectione ingratiè reddamus duo Aristote-
 les c. preparavit remedia, quibus ingenium nostrum circa honores
 temperandum; Modestiam & Magnanimitatem. Nos hac vice,
 (cum DEO) Naturam duntaxat MODESTIÆ, paucis delinea-
 bimus lineis.

§. 2.

MODESTIA. Aristoteli d. est ἀνώνυμος. Hinc. in fit
 ita: Ἐπιεικείῃ ἐν ἧ ἔστι ἀνὴρ μεσότητος ὅσα πρὸς πλεονῶν ἀνώνυ-
 μος. φαίνεται ἡ πρὸς μὲν τὴν φιλοτιμίαν, ἀφιλοτιμίαν πρὸς
 ἡ τὴν ἀφιλοτιμίαν, φιλοτιμία πρὸς ἀμφοτέρω ἡ ἀμφοτέρω
 πρὸς. Videtur itaq; quod Aristoteli tamen VIRTUS hæc sub
 nomine φιλοτιμίας veniat, quæ vox ex ista vocabulorum clas-
 se deprompta est, quæ μέσση vocamus. hoc est, quæ indifferen-
 tēr se habent tam ad bonam, quàm ad malam partem. Sicut
 non inficias ire possumus, quod hac vocula ipsum quoq; ex-
 tremum MODESTIÆ peccatis in excessu exprimat. Atta-
 men φιλοτιμία nobis h. l. idem est, quod desiderium honoris licitū.

Latinis

Latini MODESTIA dicitur vel à *modico*, quod scilicet occupata sit circa honores *modicos*: vel à *modo*, quod *modum* in honoribus statuatur. Apud Eosdem vocabulum Modestiae est *πελόσημον*. Sumitur enim vel *naturaliter* & *physicè* pro verecundia & pudore; vel *moraliter* & *Ethicè*: & ita porro, partim *ϋλικώς* & *populariter* designat elegantem morum compositionem; partim *ειδικώς*, & *specialiter* significat uirtutem moderatricem honorum, quæ acceptio hujus est loci. Hinc nobis hoc loco Modestia est *virtus moralis in modicis honoribus, iisq; propter mediocrem uirtutem debitis mediocritatem seruare faciens, honestatis gratia*.

§. 3.

Forma Modestiae consistit in *Mediocritate* circa honores modicos propter uirtutem mediocrem debitos. *Μέσσητης* autem seu *μέσση* vulgo constituitur triplex: lege, si placet, *Car. Franc. de Rac. f.* Scilicet: Datur vel *medium per participationem extremorum*, quod nil aliud, quàm si Medium de suis extremis non nihil participet. v. c. ita *tepor* dicitur medius inter calorem & frigus, quum de utroq; non nihil participet. Vel per *negationem extremorum*: Ita *Ens rationis* tale est medium inter *ens reale* & *nihil*, quia neq; est *nihil*, neq; *ens reale*, Vel denique per *similitudinem cum altero extremorum*. Hinc *Aristoteles. g.* Cum tres, inquit, *dispositiones sint, duo scilicet vitia, per excessum unum, alterum per defectum, & uirtus ana, que mediocritas est: omnes omnibus quodammodo opponuntur, extrema enim & media, & inter se contraria sunt: media uero extremis.* Nam quem admodum *equale*, si *minori* comparetur, *majus*: si *majori*, *minus* euadit: ita quoq; *medii habitus tam in affectibus, quàm in actionibus, si ad defectus spectemus, excedunt: si ad excessus, deficiunt.* Fortis enim respectu *ignavi* *audax*: respectu *audacis* *contra ignaui* *uiderur*: simili modo etiam *temperans*, si ad *stupidum* referatur, *intemperans*: si ad *intemperantem* *stupidus*; item *liberalis* ad *auarum* comparatur, *prodigus*: ad *prodigum* uero *auarus*. Unde efficitur, ut *extremi medium ad alterum uterq; expellant*: & *fortem* quidem *timidus* *audacem*, *audax* *timidum* uocet, atq; in aliis simili modo.

A 3

paret,

Formale
Modestiae
est Mediocritas in
m. b.
f) Part. 2.
Philos.
part. post.
Phil. M. r.
disp. ult.
de Virt. sect.
4. q. 1. art.
3. memb. 2.
g) lib. 2. de
Morib. c. 3

paret, quo pacto *Aristoteles* videtur asserere, virtutem esse me-
 diam inter duas vitiosas extremitates. v. c. liberalitatem in-
 ter prodigalitatem & avaritiam, eò quod liberalitas cum ava-
 ritia comparata prodigalitas sit; contra collata cum prodigalitate, avaritia videatur esse. Ex quo certò colligitur, virtu-
 tis medium non esse per participationem extremorum, sed per
 negationem vel similitudinem. Huc quoq; (sed ἐπεὶ οὐδὲν) *(sed ἐπεὶ οὐδὲν)*
 observa tum oppositionem tum pugnam extremorum cum
 medio. Nimirum *vitia* ut *extrema* opponuntur *virtuti* ut *me-
 dio* privativè, quippe dicunt negationem in subiecto habili *de
 jure*. Pugna autem eorum consideratur, vel *absolutè* vel *com-
 paratè*. Quatenus virtus opponitur vitio, *absolutè* spectando
 naturam eorum; eatenus virtus magis pugnat cum suis extre-
 mis, quam extrema ipsa inter se invicem: siquidem virtus ita
 considerata est bonum quid: vitia verò sunt ex genere malo-
 rum. *Comparatè* verò loquendo, conferendo scilicet *similitu-
 dinem* aliquam, quam vel habet virtus cum extremis, vel extre-
 ma inter se; tum omninò Major est similitudo Medii cum al-
 terutro extremorum, quam extremorum inter sese: & ita vi-
 cissim extrema à se invicem longiùs distant quàm à medio. Sic
 v. c. Major est *similitudo Modestia* cum *Ambitione*, quàm cum
 ἀφιλομία seu *abiectione animi*: quia, uti *Modestia* occupata est
 in appetendis honoribus debitis: ita & *ambitio* versatur in τῶν
 appetere honores, (utut *Modestia* observet μέσσην καὶ πρέπειον &
 ambitio verò excedat) E contra ἀφιλομία planè despondet
 animum, neq; honores sibi aliàs competentes expetit. Sed
 hæc obiter & intransitu. Ad rem nostram conducit, quod ha-
 bet *Aristoteles*. b. Scilicet medium esse ἢ κατὰ αὐτὸ πρῶτον, ἢ ὡς
 ἡμῶν. Μέσσην κατὰ αὐτὸ πρῶτον, seu *ex ipsa re*, est, quod æ-
 qualitatem servat inter duo extrema. Sic *Senarius* v. c. est
 medius inter *denarium* & *binarium*: quia totidem *unitatibus* ab
 utroq; extremo distat, nempe *quatuor*. Μέσσην autem ὡς ἡμῶν
 quoad nos, seu *medium persone* aut *nationis* est, quod unicuiq; con-
 venit. Et quod neq; nimium, neq; parum est, h. e. quando non
 exactè

b) l. 2. Eth.
 cap. 6.
 Adde & ea
 quæ habet
 c. 8. ejusd.
 lib.

exactè servatur æqualitas mediæ cum extremis, sed proportio ratione circumstantiarum temporis, loci, personæ, & juxta dictamen prudentiæ. Ita v. c. ea portio cibi, *rustico* de die quater vel septies comedenti pro ejus temperamento & conditione destinata dicitur medium respectu illius. Et hac ratione non minus *rusticus ille temperans* est, quam alius aliquis de die una vice vel bis comedens: quia hæc nimirum cibi quantitas ejus respondebat naturæ. Hoc autem utrumque medium pendet à *proportione*, quæ duplex: vel *Arithmetica*, quæ est, in qua servatur æqualitas excessus. V. c. 2. 4. 6. Hic numerus *quaternarius* tot superat unitatibus binarium, quot senarius ipsum. Vel *Geometrica*, quæ est, in qua servatur similitudo rationum. Ut, v. c. inter 2. 4. 8. Hic *quaternarius* toties continet binarium, quoties ille vicissim continetur ab octonario. Consule, si lubet, *Connimb. i. Carol. de Rac. k. Burgersd. t. Alsted. m. & alios*. Jam *MODESTIAM* scito non consistere in medio rei s. *Arithmetico*, sed in medio personæ, quoad nos, seu rationis & *Geometrico*. Quia 1. magis accedit ad unum extremorum quam ad alterum. 2. Inæqualiter etiam distribuit honores, ad proportionem scilicet *Geometricam*. Nam majori honore digni ii, qui magis, quam qui minus sunt promeriti. Ob inæqualitatem igitur meritorum distribuendi quoque veniunt honores.

§. 4.

Subiectum Modestiam rectè statuitur: Animus, Sermo & Factum. Nam Modestia *ὁσιωδῶς* ac formaliter consistit in mente vel animo: *ὀυλοδικῶς* v. & representativè partim in verbis, partim in factis. Sic v. c. recitat *Plinius*, n. veteris fuisse instituti capita aperiri aspectu Magistratum, verum non venerationis sed valetudinis causa, quoniam firmiora consuetudine ea fierent. Hinc (ut *Χολιάς Dalecampius* ad hunc locum *Plinii*) *Ægyptiis*, qui capite nudo vitam agunt, eam corporis partem firmissimam esse veteres prodiderunt. *Herodotus* præcipuè (ex quo idem recenset *D. P. Laurenberg*, o) *Persis* verò qui perperuò mitra contegunt, tam invalidam, ut velicè levi offendatur.

Hanni-

i) in libr. Et b. Arist. dist. 7. q. 2. art. 1.
k) Part. 2. Phil. dist. ult. de Virt. sect. 3. q. 1. art. 3. m. 2.
l) Idea Ph. Mor. c. 11. § 17. 22.
m) Admir. Math. l. 1. cap. 4. Subiectum modestie. n) lib. 28. Hist. nat. cap. 6.
o) Disc. 6. Centur. 1. Acer. Phil.

*Hannibal, Divus Julius, Masinissa Numidarum Rex, Hadrianus, Severus, aperiendi longa consuetudine tantum firmitatis adepti sunt, ut, sive Sol esset, sive imber, sive frigidum, tempestuosumq; celum, etiam hyeme seva & nivosa, aperto capite prodirent iterq; facerent, obdurno contra omnem aeris injuriam & inclementiam capite Alex-
xand. ab Alex. p. At, non equidem inscii sumus multum face-*

p) c. 19. 2.

q) gradu 8
c. 31. Pbil.
Mor.

re consuetudinem, interim tamen apertionem istam capitis digitum quoq; intendere ad venerationem & cultum honoris non inficias imus. Hinc respondemus verbis Piccolominei, q. Id fieri, quia honor est iudicium & signum virtutis, iudicamus proximè capite ut instrumento. Insuper nuditas est signum humilitatis; ideo superam nostram partem detegentes maximè nos humiles declaramus, ac ob id etiam caput inclinamus. Non id facimus corde, (quamvis cor sit subjectum, principium & fons humilitatis) quia non est membrum externum, quod pateat oculis, caput autem conspicuum est. Ad externam honoris contestationem facit quoq; osculatio manuum. Fuerat olim mos ille exosculandi manus signum venerationis idolis & aris, rebusq; aliis sacris ab Ethnicis assignatum. Post translatus est ille mos ad illos, qui sedulam operam in salutem patriæ navarunt, ut manus eorum (ut pateat cuius vi ac robore res tam præclare gestas effecerint) certatim ab aliis exciperentur osculis. Ne autem incivilius hoc iudicaretur, ut quivis proprias principis manus, fortiter pugnantis pro salute subditorum & patriæ, oscularetur, deventum est ad propriarum manuum oscula. Hinc gentibus quoq; usu venit, ut prætereuntes fanum Deorum suorum vel lignum ac lapidem, quendam, in quo aliquid divinitatis sibi

r) In cap.

Job. 31.
l. 22. Mor.

s) In syn-
tag. Jud.

cap. 17.

r. In osco-
lolog. phil.
Theol. p. 41

falso imaginarentur, manus proprio admoverint ori, tenuiq; murmure omnia fausta, à Diis illis lapideis vel ligneis precati sint. Consuetudo hæc lucem quoq; foeneratur locis quibusdam biblicis, v. c. Job. 31, 27. s & 1. Reg. 19, 18. Confer Gregor. r. Buxtorf. s. Herrenschild, t. & alios.

§. 5.

Officium Modestiae consistit r. in honoris acquisitione, ut scilicet debite expetatur & non à quibusvis, vel ab imprudenti ac im-

ac impudenti vulgo, vel ab improbis; sed à probis, prudentibus, ac iis, ad quos spectat honorum collatio: nec etiam nisi propter res honore dignas appetatur. 2. In honoris conservatione, ut scilicet legitime contra sycophantarum morsus honor legitime comparatus defendatur. 3. In honoris acquiescentia: ut scil. in honor. obtentis quisq; sua sorte contentus altiora non sapiat, vel quærat, sed acquiescat in iis honoribus, quos virtus, dona & facta cuiq; tribuunt. 4. In honoris aversatione. Ut scil. honores eos, qui non ex rebus honestis & bonis exsurgunt, aut virtuti nostræ sunt improportionati, aversemur. Hinc duo dantur *Comites MODESTIÆ, Humilitas, & Equanimitas.* Humilitas est virtus, per quam honores debitos sic appetimus, ut aliis libenter cedamus, singulosq; debitæ reverentiæ colamus. *Æquanimitas* est Virtus, in rebus jucundis & secundis affectus animi ita moderat., ne nimium efferantur.

Officium Modestie.

§. 6.

In antecessum aliquanto prolixius prælibavimus hæc, ut eò feliciter constare posset, quodnam propriissimum *MO. DESTIÆ* objectum. Hic itaq; sciendum, quod objectum modestiæ sit vel internum vel externum. Internum est appetitus concupiscibilis honorum. Externum est honor mediocris; ad quem quoq; spectat quodvis honoris signum, utpote vestitus, servitus, convivia, privilegia, salutationes, & plura alia. Observes autem quod honor consideretur vel effectivè, quando nimirum à virtute, tanquam proximo principio, seu fundamento suo dependet. Et sic honor dici potest effectus virtutis: vel significativè, prout actione quâdam honorariâ virtutis aut officii dignitas ab alio declaratur. Et sic dici potest premium virtutis, nec non de jure comitari debebat virtutem. Vid. Geisfus. u. vel deniq; objectivè quando nimirum certa virtutis objectum est, circa cujus appetitum moderandum ipsa versatur. Et sic in præsenti nostræ jam est ventilationis.

Objectum modestie.

u) Exerc. Eth. II.

§. 24.

§. 7.

Circa honorem multa occurrunt *Quæstiones* scitu necessaria. Quocirca quæritur 1. an ullomodo concessum sit appetere

Quæst. I. An licitè expetere honores?

B

tere

tere honores? R. Jure hic mutuam urea, quæ habet *Piccolominius* x. Quum enim una ex parte ad honorem omnes excitamur, invitamur, animamur, desiderium honoris, & timor infamiae, dicuntur calcaria ad sublimia nos excitantia. Ex adverso, à viris sanctis & prudentibus, monemur honores negligere, eos ut fumos & caligines mentem obumbrantes repellere, & tanquam Syrenas mentem seducentes vitare. Res itaq; est perplexa & dubia. Lege, si animus est, *Digressionem* moralem de neglectu honoris satis gravem, apud Carol. Franc. D' Abra de Rac. y. Interim tamen nos asfirmamus quæstionem, sed distinguimus inter honorem sumptum vel pro meritis de honore; vel pro signo de honore. Quatenus lumitur pro merito de honore tum maximoperè tenemur appetere honorem, tam appetitu desiderii quàm complacentia. Tendimus enim tum ad honores, non velut ad finem & bonum ultimum, quod virtus, sed velut ad boni ultimi acquisiti premium. Et sic, qui honorem negligit, ipsam quoq; negligit virtutem. Hinc optimè *Aristoteles*, x. Optima ingenia cum honores sectantur, ideo sectantur, ut constet virtute ipsos esse præditos, clarè ostendentes priorem sibi esse virtutis, quàm honoris rationem. Hoc ipso distingvimur à brutis, ut *Simonides* apud *Xenophontem* (annotante *Flamino Nobiliò Lucensi*, aa.) dixit: Hoc potissimum inter homines & bruta animantia interesse; quod homo sit honoris appetens, pecudes verò non sint. Quare si nullo reneamur honoris desiderio, à pecudibus non multum distamus. Interim tamen quatenus honor sumitur pro signo de honore, tum distinguimus vicissim inter appetitum ordinatum, quatenus moderamini rectæ rationis obtemperat, seleg; intra cancellos modestiæ continet: Et inter appetitum inordinatum, quatenus is frena appetitui suo laxat. Hic posterior duntaxat est damnabilis: Prior verò ita in gyrum redigendus, ut non conveniat suspicari, ac si quis honorem sui duntaxat gratia, & non propter aliud, vel ut signum alterius appetat. Qui enim honorem propter se expetunt, & reliqua propter honorem, illi se viros bonos non esse ostendunt. Er hi, etiam si benè agant, tamen non ex amore virtutis, sed propter aliam

Causam,

Causam, ipsa virtute multò inferiorem nempe honorem, ita agunt: *Vir autem bonus bene agendo mavult esse quam male agendo haberi honoratus, ut loquitur Keckermannus, bb. Plura qui desiderat facientia ad hęc nostram adeat Meisner. cc. Eccard. d.d. Finckium, ee. Berckringer. ff. Liebenthal/ gg. Gottwald/ bb. Heider. ii. Wendelin. kk. Theod. Ebert. ll. & plures alios. Dices (1) Provenire ex appetitu honoris in Republica rixas, discordias & reliqua mala. R. Provenit hoc ipsum non per se, sed per accidens. Quatenus nimirum mala ejusmodi oriuntur vel ex iniqua honorum distributione, quum nimirum unicuiq; honor promeritus non tribuitur; vel ex falso honore, qui jure non debetur: vel ex improbitate illorum, qui malis artibus honores affectant. Dices (2) Christum ipsum reprehendere titulum Rabbi seu honoris in Pharisæis Matth. 23. v. 7. Resp. Committitur hic fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non n. reprehendit Christus titulum istum absolute & simpliciter, sed secundum quid: quippe totus contextus loci citati docet, Christum duntaxat fastum & insolentiam Pharisæorum carpere ac culpare, qui fastus ipsorum consistebat in honore efflagitando immodicè, & quasi importunè imperando. Aliàs sequeretur neminem quoq; appellandum esse Patrem, cum idem Salvator noster facere prohibeat vers. 9. l. c. Quocirca prohibet Christus, inquit Theophilactus, mm. Τὸ ἐμπαθῶς, ἰδεῖν καλεῖσθαι, tanta affectione vocari Rabbi, & omnibus modis curare, ut quis ita vocetur. Hinc Autor imperfecti, nn. (citante Bertramo, oo.) ita inquit: Amant (Pharisæi) primas salutationes, non solum in tempore, sed & in voce: non solum in voce, sed etiam in corpore: non solum in corpore, sed etiam in loco, hoc est, non solum exigunt, ut prius eos salutemus, sed etiam cum voce clamantes Ave Rabbi: non solum hoc, sed etiam ut flexis capitibus ac nudatis, & in publico ad genua eorum nos incurvemus. Apparet itaq; Redemptorem nostrum reprehendere duntaxat insolentiam Pharisæorum. Vocula præterea p̄a. G. Ci dat solutionem, quippe ideò Pharisæi amabant salutari Rabbi, oo) In Comment. suo ad b. l. Matth. p. m. 635.*

bb) In curs
Phil. disp.
21. probl. 7
cc) Tract.
de Sum.
Bon. cap. 1.
qvast. 10.
dd) Fasto.
controv.
contr. Cal.
vin. c. 24.
ee) Quast.
illust. The.
ol. p. 1091.
ff) lib. 1.
Inst. Eth.
cap. 20.
gg) Exerc.
10. Eth. q. 1.
hh) Disp.
Eth. 10. q.
un. ad S. 41.
ii) part. 2.
Phil. Mor.
p. 641. seq.
kk) lib. 1.
Phil. Mor.
c. 32. q. 15.
ll) Ogdo ad
2. diff. Eth.
4. q. 4.
mm) in b.
l. Matth.
nn) Hom.
43. ad v. 7.
h. l. Matth

ut scilicet viderentur Viri esse omnis generis doctrinæ peritissimi, & ut hoc nomine salutarentur *comm multis*, fortè adducti extrema ambitione ac arrogantia, frequenti turbæ in foro se immiscebant. Rabbi enim idem, ac si dicas hominem multa eruditione clarum, & qui quasi unus sit instar *multorum*.

§ 8.

Q. 2. An Honor sit magis honorantis an honorati?

pp) lib. 1. Eth. mibi c. 3. & alii c. 5. qq) grad. 8 Phil. Mor. cap. 32.

rr) l. 1. Inst. Eth. c. 20.

ss) Syst. Ethic. p. m. 35. & 36. tt) Distin. ac limit. in Phil. Pr. p. m. 159.

Porro Qværitur 2. An Honor sit *magis* honorantis, an honorati? Resp. Originem suam controversia hæc debet. *Aristoteli*, pp. qui docet, quod honor magis consistat in iis, qui honorem exhibent, quàm qui eo afficiuntur. Multifariè à variis ad hoc problema respondetur. *Piccolomineus* qq. distingvit inter honorem, quatenus is sumitur vel *pro meritis*, & ita honor est solius viri honorati, quem honorem nemo à nobis auferre valet, nisi nos ipsi, & nemo valet illum nobis restituere, nisi nos ipsi, qui abstulimus, & de hoc falsa est communis sententia asserentium, neminem esse honoratum sine externo signo. Vel pro actione proba honorantis, rùm est ejus, qui honorat. Vel pro materie & signo, tùm mediat inter honorantem & honoratum, pendet enim ex honorante, ut tribuente, transit in honoratum ut recipientem: propriè tamen dicit esse honorati, uti sunt ea omnia, quæ transeunt à tribuente in recipientem. *Aristoteles* waq, quando dicit, honorem esse honorantis, consideravit illam, ut honorantis actionem. Rectè omnia ea procedunt ex definitione honoris illa, qua definitur, quod sit actio proba in honorante liberè prodicens, ex ejus judicio, consilio ac electione, ac ita penitus quasi residet in ejus potestate. Intellige ratione principii, non a termini & recipientis. Qvæ definitio ita facilè colligitur è verbis *Berckring*. rr. Hinc idem dividit honorem quatenus vel sumitur *ερεγνητικῶς* seu activè, ita in solo honorante, vel *παθητικῶς* seu passivè, ita in honorato. Procul dubio distinctionem hanc hausit ex *Keckermanno* ss. vel *Zapfo*. tt. Hinc *Aristot.* uu. definit Honorem ita: Honor est signum benefica opinionis. Verùm enim verò remanet tamen adhuc dubium, cui præprimis conveniat? Resp. Honorato, vi definitionis de honore ex definitione *Piccolominei* xx. uu) lib. 1. Rhetor. c. 5. xx) grad. 8. Phil. Moral. cap. 24.

Honor

Honor est *præmium virtutis tributum à conveniente ejus giudice viro probo; ut ejus virtus resfulgeat, cæteriꝫ ejus exemplo ad virtutem invitentur.* Et Scaligeri *Exerc. 317. sect. 3.* Honor est officium debitum virtuti, ejus meritum representans. Jam concludo. Si Honor propriè & strictè sic dictus est virtutis præmium ac incitamentum ad virtutem. utiq; magis conveniet honor honorato quam honoranti. Sed. Ergo. Antecedens constat è jam prolata definitione è *Piccolomineo.* Connexio probatur ita:

Omne præmium est illius, cui inest res, propter quam istud datur præmium. Jam honor est præmium virtutis (hæc autem potius honorato quam honoranti inest.) E. Honor est illius, cui inest virtus, hoc est, *honorato.* Idem fermè est, quod habet *Wendelinus* *yy.* Cujus est meritum virtutis, ejus magis est præmium ejus, nempe honor: Atqui Honorati est meritum virtutis: E. Honorati magis est præmium virtutis, nempe honor.

Proposito patet: Quia præmium datur propter meritum. Assumptio prob. Qui propter meritum suum honoratur. Consulat B. L. illum ipsam l. c.

§. 9.
Deniq; Q. 3. An filius ad gubernacula republicæ erectus in honore parenti privato præferendus? Resp. Pro negativa militat exemplum Salomonis 1. Reg. 2, 19. qui surgens de solio suo obviam matri Batseba processit eiꝫ; collocari jussit thronum regis, in quo ad dextram ejus confedit. Contrait nobis præceptum 4. in lege divina Exod. 20, 12. Deut. 5, 16. Matth. 15, 4. Eph. 6, 2, 3. ut & Ecclesiasticus cap. 3, 9. Ubi jubet parentes esse honorandos *sermone, opera & patientiâ.* Optimè ad h. loc. *Finck* *zz.* quem consule. Lex quoq; naturæ plenis buccis nobis reclamatur: utpote qui jubet non tantum parere parentibus mansuetis, sed & morigerosis. Hoc ipso celebris est *Manlius*, de quo *Valerius Maximus*, *aaa.* Ubi quoque post narratum factum ita concludit: *Commendabilis est pietas, que mansuetis parentibus præstatur: sed Manlius quo horridiorem Patrem habuit hoc laudabilius in periculo ejus subvenit: quia ad eum diligendum præter naturalem amorem, nullo indulgentiæ blandimento invitatus fuerat.* Interim tamen hoc ipso non proferimus honorem

*yy) lib. 1.
Phil. Mor.
c. 32. quæst
95. 42.*

*Q. 3. An
Filius Ma-
gistri
parvi pri-
vato in ho-
nore præ-
ferendus?
zz) In
quæst. III.
Theolog.
q. 119
aaa) lib. 5.
dict. fact.
mem. c. 4.*

& reverentiam liberorum in parentes, sed maximè urgemus præceptum quartum dicentes: Filium, quia Princeps vel Magistratus est, non desinere Patris sui esse filium quoad naturalem generationem. Nec damnamus factum Salomonis, quippe qui matrem quidem suam honoravit, sed *privatim*: Honoravit, sed *sine derogatione sui officii*: Honoravit, sed *civiliter*. Quocirca consideramus filium vel ratione *originis suæ & absolute*, vel ratione *dignitatis suæ & respectivè*. Quatenus consideratur ratione *originis & absolute*, item *privatim & extra forum*, tum minor est Patre, eiq; postponendus. Si quidem in privatis Jus domesticum est observandum. Quatenus verò consideratur *respectivè & ratione officii & dignitatis*; tum seposita paterna potestate ac ratione Juris Domestici præferendus est in honore filius *Magistratus Parenti privato*: quia in tali casu non cedit Pater *Filio*, sed *Reipublicæ*. Quatenus igitur filius repræsentat *Rempublicam*. h. e. *quatenus in eo conversatur loco, & occupatur actu, in quo vertitur dignitas & potestas Reipublicæ, eatenus cedit Pater*. In cæteris res redit ad ordinem naturæ. Ita *Libenthal*, *bbh*. *Velftenius*, *ccc*. *Christianus Matthias ddd*. *Jac. Mart. eee*. *Wendelin. fff*. & alii. Hinc ex *A. Gellio gg 3*. accepimus hæc: *Sempronius Gracchus* *Conf. Rom.* ut dignitatem suam publicè tueretur; cum obviam sibi factus esset Pater *Q. Fabius Maximus*, eqvo infidens; lictoribus ad eum missis, eqvo ut descenderet imperavit. Pater dicto audiens imperata promptè fecit; Filiumq; collaudavit, quòd dignitatem populi Romani imperio convenientem tueri nosset. Hæc *Gellius*. Et ex eo *Steph. Guazzius bbb*. Ubi hic insimul exemplum partim risu partim admiratione dignum recenset de *Filio Doctore & Parente Privato* quem l. c. consule

§. 10.

Tandem Modestiam claudunt ipsa Extrema Modestiae; quæ sunt in excessu *φιλοψυχία* seu *Ambitio*, sumpta in malam partem: in defectu, *ἀφιλοψυχία*. *φιλοψυχία* seu *ambitio* est *falsa honoris ex presumptione virtutis, quam non habemus, orta vindictio*. Idcirco inquit *Heiderus ij*; præcunte *Plinio kkk*. quod

kkk) lib. 34. *Hist. nat. cap. 5.*

ambitio

bbh) *Exer.*
4. polit.
qu. 7.
ccc) *dec. 3.*
qq. pol. 4.
ddd) *In*
Pol. p. 143.
eee) *lib. 3.*
dis. Misc.
9. quæst. 15
fff) *lib. 1.*
Phil. Mor.
c. 32. q. 15.
ggg) *l. 2.*
Noct. Att.
cap. 2.
bbh) *Diff.*
Pol. de Civ.
Convers.
p. m. 355.
Extremū
Modestia
in Excessu.
ij) *part. 2.*
Phil. Mor.
p. 675.

ambitio propter vanitatem suam conferatur *Accio Poëta*, qui staturâ cum esset parvus & pusillus, maximam tamen in *Ædo Camœnarum* sibi curavit poni statuam. Comparatur etiam *pavoni*, qui laudatus plumas explicat. Ast, uti *Bartholomæus Anglicus* (citante *Christiano Matthia III*) de Pavonibus refert; quod scilicet illi ipsi pennas suas nonnunquam gloriôsè expandant quidem, atq; superbiant: quando autem pedes suos respiciunt, tum alâs demittant, & superbire desinant. Ita quoq; hominēs memores originis suæ cogitent, se exterra ortum trahere, terram gerere, terram pedibus premere, & rursus in terram redire: ac proinde humilitati studeant. Hinc divus *Bernhardus mmm*. *Adverte. Homo quia limus es, & non sis mmm*) *In superbus*. Quocirca quoq; Judæi jussi sunt abstinere Festo *Paschatos à fermento*, quo tumorem contrahit massa, ut docentur, in bonis operibus nihil magis fugiendum esse, quam vanam tumidamq; gloriam.

III) In Histor. Patri- archarum. p. II.

S. II.

Deniq; à *Philostemia* seu honoris contemptus est, cum honores debiti, quidq; vel officium vel merita decent, respuuntur, ac indecenter contemnuntur, aut sarti tectiq; non asservantur. Est a. *Philostemia*, vel *pum*, quam aliàs animi defectionem dicimus, vel affectata seu *Hypocritica*, qua quis nimis humaniter decentem aut locum aut gradum &c. excusat, aut non admittit. Ita v. c. referentibus *Donaldsono nnn*. & *Christian. Matth. 000*. cum aliquando *Alexander Magnus* adstaret *Diogeni Cynico*, ac diceret: *Ego sum Alexander Magnus ille Rex*. At ego, inquit *Diogenes*, canis. Sic recenset *Heiderus ppp*. de *Francisco Dandolo Venetorum Legato ad Pontificem*, qui mutata veste, quadrupedis canis *Χέσδ* assumptâ, zona in catenæ modum collo vitus ad Pontificis prandentis pedes se abjecit dicens: nolle se habitum nec animum præsentem mutare, usque dum *Veneta Resp.* in gratiam reciperetur. Nos manum de Tabula! Sit

Extremâ Modestia in defectis. nnn) lib. 3. Syn. Eth. c. 6. p. 199. 000) lib. 3. Eth. p. 187. ppp) part. 2. Phil. Moral. p. 656.

SOLI DEO GLORIA.

01 : 10

Ad Eximium Dominum Respond. Conuict. dilectum.

Qui sapit, affectat mediocria, Summa, modestè,
Si petit, ingenii non levitate petit.

Est Erebi pestis, quæ tristibus implicat orbem
Diffidiis, passim diraq; bella movet,

AMBITIOSUS HONOS. VESTRINGI culmina honorū

Tu virtute petis, semita ruta patet.

Calcar habes firmum tot nomina clara tuorum,

I, sequere, & merces sat tibi honoris erit!

Boni ominis ergò cum voto deprop.

M. Enochus Svantenius,

ad D. Jac. Archidiac.



Ad Dn. Johannem Vestringium, de Modestia Disputantem,

Dum tentat ferro nostros populare penates
Moschus pectora habens barbariora Getis:

Et dum Polonus non parvo milite cinctus
Prussiacas Urbeis obsidione premit:

Tu quoque **VESTRINGI**, nostræ Pars intima Mentis,
Arma capis solus, ne vidiaris iners;

Arma capis, sed quæ non corpus vulnere fœdant;
Phœbus enim non Mars præbuit illa tibi.

Scilicet hoc pacto nobis Doctrina paratur,
Ardua ceu certâ hac itur ad astra Via.

O felix Juvenis! qui sic complecteris artes
Maxima te tandem præmia, crede, manent.

In honorem Dn. Respondentis sui quondam

Contubernalis hæc pauca alato

calamo ponebat

Andreas Forselius,

Reveliâ Livonus,

— (57) —

ambitio propter vanitatem suam conferat
 staturam cum esset parvus & pusillus, maximam
 Camœnarum sibi curavit poni statuat. *C*
pavoni, qui laudatus plumas explicat. *Ast*
Anglicus (citante *Christiano Matthia III*) de
 quod scilicet illi ipsi pennas suas nonnunquam
 pandant quidem, atque superbiant: quando
 respiciunt, tum alas demittant, & superbiunt
 quoque; homines memores originis suae cogita-
 tum trahere, terram gerere, terram pedibus
 in terram redire: ac proinde humilitatem
 divus *Bernhardus* *mm*. *Adverte Homo quia*
superbus. Quocirca quoque; Judæi jussi sunt a
 schatos à fermento, quo tumorem contraherentur,
 in bonis operibus nihil magis fugi-
 vanam tumidamque gloriam.

S. II.

Denique; à *Philosophia* seu honoris contem-
 ptus debiti, quibus vel officium vel merita decent
 decenter contemnuntur, aut facti rectique non assu-
 muntur, vel *pura*, quam aliàs animi defe-
 ctus vel affectata seu Hypocritica, qua quis nimis
 aut locum aut gradum &c. excusat, aut non a-
 referentibus *Donaldson* *nnn*. & *Christian*. *M*
 liquando *Alexander Magnus* adstaret *Dioge-*
ret: *Ego sum Alexander Magnus ille Rex*. *A*
genes, canis. Sic recenset *Heiderus* *ppp*. de
 Venetorum Legato ad Pontificem, qui mut
 pedis canis *χρῆσ* assumptam, zona in catenâ
 stus ad Pontificis prandentis pedes se abjecit
 habitum nec animum præsentem mutat
 Veneta Resp. in gratiam reciperetur
 manum de Tabula! Sit

SOLI DEO GLORIA

qui
 Ede-
 iam
 mans-
 ert;
 ex-
 tuos
 Ita
 or-
 rur-
 hinc
 n sis *mm*) *In*
 Pa-
 oce-
 nam.

ho- *Extremâ*
 in- *Modestia*
 a. *in defectis*
 nus,
 nem
 v. c.
 n a-
 nne) *lib. 3.*
 ico- *Syn. Eth.*
 Dio- *c. 6. p. 199.*
 dalo *ooo) lib. 3.*
 tra- *Eth. p. 187*
 vin- *ppp) part.*
 e se *2. Phil.*
 Moral.
 p. 656.

